

se duobus annis, & quinque mensibus. Martinus autem Polonus, seu verus ejus interpolator, post annos 185. a Mariano, & 420. ab electione Benedicti, commentum simplex variis figmentis ornauerunt, scribentes feminam illam vocatam fuisse Joannam Anglicam in Moguntia oriundam, in solemnibus supplicationibus peperisse inter Templum S. Clementis, & Coliseum, atque in hujus facinoris executionem supplicationes publicas ab hac via deinceps declinasse. Postea Theodoricus Niemiensis circa ann. 1413. addidit, Statuam in ejus eventus memoriam erectam fuisse. Platina deinde circa ann. 1481. sedem perforatam, seu stercorariam retulit, in qua sexus novi Pontificis exploraretur ab ultimo Diacono. Alii post alios centum annos addiderunt, hanc Papissam non solum fuisse meretricem, sed etiam praestigiaticam. Alii tandem ipsam coronasse Ludovicum sextidum Imperatorem. Sic fabulae crescunt eundo.

3. Scaturit contradictionibus, & ineptiis, quae illam destrunt. 1. Dicit, istam Joannam fuisse Anglicam ex Moguntia oriundam, cum Moguntia sit in Germania, & non in Anglia. Ut autem hanc contradictionem salvent fabulae Scriptores, inter se pugnant. Quidam dicunt natam in Anglia, sed ex parentibus Moguntiacis. Platina e contra fuisse natam Moguntiam, sed ex Parentibus Anglis. Magdeburgenses neque natam, neque oriundam ex Anglia, sed ibi educatam. 2. Dicit operam dedisse literis Athenis, cum constet ex Synesio, qui vivebat paulo post tempora S. Basilii, Ep. 35. ad Fratrem suum, jam tunc non superesse Athenis, nisi locorum Academiae nomina: *Athenae*, inquit, quondam civitas fuit sapientum Domicilium: nunc eam Melliores celebrant. Et ex Cedreno, & Zonara in vita Michaelis, & Theodora Imperatorum habemus, quod illic sint resituta tantum studia a Barda Cesare sub fine Imperii Michaelis, qui contigit Sub Nicolao I. Benedicti III. Successore, consequenter post mortem Papissae fabulosae. 3. Dicit Joannam postquam biennium Romae legisset, & vita atque scientia magne opinionis esset, in Papam concorditer fuisse electam. At incredibile est, quod femina ignota, incertae originis, & Patriae, sine ullo ordine, & testimonio anteaetate vitae sic facta fuerit Pontifex, praesertim cum a S. Petro usque ad Formosum, qui fuit electus anno 890. nullus fuerit creatus Pontifex, qui in Ecclesia Romana non esset educatus, & per omnium Ordinum gradus ad Diaconatum saltem non pervenisset. 4. Dicit ab amasio impraegnatam in supplicatione publica peperisse. At quis credat eam, quae juvenis habuerat amasium sine partu, Pontificem factam, & jam senem peperisse? Quis credat, mulierem novem mensibus gravidam nulli ex suis familiaribus, Medicis, Anticis innotuisse, aut ipsam aperto se prodiendi periculo voluisse se exponere? 5. Dicunt Magdeburgenses, peperisse, cum ex Vaticano vellet invisere Ecclesiam Lateranensem. At certum est, teste Onuphrio in libr. de 7. Eccl. Romanos Pontifices usque ad tempora Bonifacii IX. id est, usque ad ann. 1390. non habitasse in Vaticano, sed in Lateran. Palatio. Quomodo ergo, si in Laterano habitabat, volebat ex Vaticano invisere Lateranum?

Solvuntur objectiones.

OBJ. 1. Testimonium Mariani Scoti, de quo supra. 2. Testimonium Sieberti in Chronico ad ann. 854. ubi haec habet: *Fama est, hunc Joannem feminam fuisse, & uni soli familiari tantum cognitam, qui eam complexus est, & gravida facta peperit Papa existens. Eam inter Pontifices non numerant quidam.* Florebat autem Siebertus in fine 12. saeculo. 3. Testimonium Martini Poloni Ordinis Praedicatorum, Nicolai III. Penitentiarum, qui latius factum exposuit, ut patebit ex sequenti testimonio. 4. Testimonium S. Antonini part. 2. Chronicon tit. 16. cap. 1. §. 6. ubi haec de Papissa narrationem ex Martino Polono sic excipit. *Post hunc Leonem Martinus in Chronica sua posuit Joannem natione Anglicam. Qui sedit anno Domini 850. in Cathedra Petri annis duobus, mensibus tribus, diebus sex. Quo mortuo cessavit Papatus mense uno. Hic, inquit Martinus, ut asseritur, femina fuit, & in puellari etate a quodam suo amasio in habitu virili Athenas adducta sic in diversis scientiis profecit ut nullus sibi par inveniretur, adeo ut post Rome in trivitiis legens magnos Magistros Discipulos, & auditores haberet. Et cum in urbe in scientia, & vita magne opinionis esset, in Papam concorditer eligitur post Leonem: sed in Papatu per suum familiarem impraegnatur. Verum tempus partus ignorans, cum de S. Petro in Lateranum tenderet, angustiata in partu inter Ecclesiam S. Clementis, & Coliseum peperit in via. Et in partu mortua ibidem sepulta dicitur. Et quia Papa eandem viam semper obliquat, cum Lateranum accedit, creditur a plerisque, quod ob detestationem facti hoc faciat. Nec ponitur in catalogo summorum Pontificum propter mulieris sexum. Testimonium Platinae in libr. Vitae de Pontificum in Joanne VIII. Joannes, inquit, Anglicus ex Moguntia oriundus malis ar-*

tibus; ut ajunt, Pontificatum adeptus est. Mentitus enim sexum, &c. ut in testimonio Martini Poloni, praeterquam quod addat de sede stercoraria. 6. Pontifices eundo ad Lateranum semper declinant a via, in qua Joana peperisse dicitur, licet sit brevior, in detestationem hujus facinoris. 7. Tandem in hujus rei memoriam posita fuit in eadem via statua quaedam representans mulierem cum infante, quae postea aliquo jubente Pontifice in Tiberim projecta est. Item Senis in majori Templo inter Pontificum status collocatum fuit Joannae Papissae simulacrum usque ad Clementis VIII. Pontificatum.

R. 1. Generaliter, Scriptores coevos, quos retulimus, majorem esse fidem adhibendam, quam recentioribus, praesertim cum eorum narratio contradictionibus scateat, & alios habeat characteres fabulae, ut ostendimus. R. 2. ad singula. Ad primum 1. In antiquissimis Codicibus Mariani Scoti hanc fabulam non reperiri testatur, qui edidit Coloniam ann. 1574. Metropolitani Alberti Krantsii, & notis illustravit, etsi hanc notam eraserint Typographi Francofurtenses, ut observat Leo Allatius. Hujus Responsionis veritas inde firmatur, quod nullus ex assertoribus hujus fabulae post Marianum Scotum, exceptis Recentioribus, ejus testimonium proferunt, sed Martini Poloni: *Omnes, quos legi, inquit Ptolomeus Lucensis l. 16. Hist. c. 8. praeter Martinum (Polonum) tradunt, post Leonem IV. fuisse Benedictum III. Martinus autem Polonus ponit Joannem Anglicum.*

2. Dato, sic scripsit Marianum, variis ejus anacronismi etiam in hac ipsa aetate, de qua agitur, fidem ipsi auferunt. Inter alios scribit Leonem IV. obiisse. 1. Augusti 853. & tamen constat ex Anastasio Bibliothecario, Leonem eodem anno 8. Decembris congregasse Romae Concilium, in quo depositus fuit Anastasius Cardinalis. Item constat, ipsum anno sequenti condidisse Urbem Leopolum. Totum ergo tempus, quod Joannae Papissae concedit, ad annum ipsius Leonis spectat, siquidem nullum pro Papissa relinquatur. Insuper scribit, Benedictum III. sedisse ad ann. 857. & tamen constat ex Anastasio supra cit. exaltatum fuisse 19. Septembris 855. Praeterea, si Leo IV. obiit 8. Augusti 853. & Benedictus III. fuit tantum creatus ann. 857. non igitur duobus tantum annis, & quinque mensibus inter utrumque sedit Joana, ut scribit, sed ab minus tribus annis, & quinque mensibus. Plures alios hujus Scriptoris aevos refert Natalis Alexander citatus. Ad 2. Sieberti Chronicon haec in parte esse interpolatum, & haec, quae objiciuntur, manu aliena esse addita, constat ex antiquo grapho Monasterii Gemblacensis, ubi Siebertus erat Monachus; quod testatur se vidisse Joannes Molanus Doctor Lovaniensis, & Aubertus Mirzaus, qui illud edidit, in quo haec lacina de Joana Papissa desideratur. Id confirmatur ex eo, quod Vincentius Bellovacensis libr. 25. Speculi historialis cap. 36. & Guillelmus Nanguins in Chronico, qui Siebertum in Historiis horum temporum de verbo ad verbum excubant, nullam Joannae Papissae mentionem faciunt.

Ad 3. Chronicon Martini Poloni esse patitur corruptum, siquae assutam fuisse hanc Papissae fabulam, invictè probat noster Echard in opere, cui Titulus *Scriptores Ordinis Praedicatorum ad Martinum Polonum* Tom. 1. p. 361. Advertit 1. eruditissimus Scriptor, Martinum in scribendo suo Chronico hanc methodum servasse. In una pagina ad laevam exhibet Pontifices, in altera ad dexteram Imperatores. Quamlibet paginam in 50. lineas dividit, & in margine ad caput cujusque lineae annum scribit, adeo ut in qualibet pagina sint 50. anni distincte notati; nomen cujusque Pontificis positum est initio lineae, cui junctus est in margine annus, quo inivit Pontificatum, totque sibi vindicet lineas, quot sedit annis, licet non omnes plenas, sed quandoque vacuas. Idem de Imperatoribus. Ea methodo scriptum esse codicem Vaticanum Urbani VIII. annuit Allatius, eadem suum Fabricius, eadem quosdam ex Caesaris Lambecius, eadem Florentinum S. Mariz Novellae, testatur ipse Echard, qui vidit.

Advertit 2. quod in omnibus codicibus hujus methodi a quibus exulat Fabula Papissae, servetur exacta Chronologia. Sic Leo IV. seu V. in linea scriptus est, ad quam e latere signatus est ann. 847. & cum dicitur sedisse octo annis, tribus mensibus, & sex diebus, debentur ei octo lineae, quas implet; Benedictus III. collocatur immediatè in linea sequenti ad ann. 855. & sic habent codices laudati; nullus, ut patet, superest locus, nec superesse potest Joanni Moguntino. In codicibus vero ejusdem methodi, in quibus assuta est fabula, Chronologia est omnino perturbata, & confusa; patet in codice Victorino, in quo ut locum Joannae Papissae reperiret Exscriptor, duas integras paginas perturbavit, collocando Pontifices Leonem praecedentes annis superioribus, quam electi fuerant, paucioresque lineas, & annos concedendo, quam sederint, & eorum Pontificatum intra pauciores annos connotando.

Advertit 3. Codices manuscriptorum esse quadruplicis generis. Primi puri, & sinceri sunt, a quibus omnino exulat Fabula,

quales sunt Vaticanus Urbani VIII. ab Altrio laudatus, Fabricianus, quatuor Caesarei a Lambecio laudati, Naudaeus a Labbeo Biblioth. nov. p. 222. Navaricus, & indubiè plures alii.

Secundi generis sunt, in quibus fabula in margine tantum est addita, Pontificum catalogo intacto, quales sunt Florentinus S. Mariz Nov. Parisiensis D. Abbatis de Camps, Tongerloensis a Suffrido laudatus, Leodiensis ornatissimi viri D. Baronis de Crassier, quem in ejus elegantissima atque amplissima Bibliotheca ego ipse legi. Tertii generis sunt secundum methodum Martinianam, & ipsi interpolati, in quibus a margine in textum fabula irrepsit, & Chronologia est interturbata, ut Victorinus. Quarti generis sunt citra methodum Martinianam, in quibus vel deest Chronologia, vel unus tantum annus in margine, aut in textu apponitur, inserta in plerisque fabula; & hi corrupti. Ex his manifestum apparet, nullam fidem esse adhibendam iis codicibus, qui illam fabulam referunt, eamque contra mentem Auctoris fuisse assutam.

Conjectat eruditissimus Scriptor, rem sic evenisse. Cum Chronicon Martini haec methodo scriptum commodum videretur, & omnes desiderarent, aliunde ista fabula jam a pluribus annis in vulgus esset sparsa, eam 1. ad marginem e regione Leonis quidam scripserunt, ut ut res se haberent; postea vero e margine in Catalogum alii invexerunt, & ut locum ei facerent, Pontifices Leonem antecedentes & subsequentes loco eis ab Auctore dato moverunt, omninoque in duabus paginis perturbarunt. Nec ibi cessavit: nam, cum Chronicon istud ad methodum Martini cessaret scribere esset molestum, quia id non nisi in codicibus in folio servari poterat, & forma minori scriptum commodius videretur, quidam Chronologiam omnino omiserunt, alii aliquem ex annis cujusque Pontificis annotarunt, non attendentes scrupulos, ad esset primus, vel secundus, vel tertius, & inde in hujusmodi codicibus tanta Chronologiae varietas. Haec fusiùs discussa & probata legi possunt apud laudatum Echard. Addam dumtaxat, neque in opere interpolato Martini hanc fabulam asseri ut veram historiam, sed ut populari & incerta fama factam. *Illic*, inquit, ut asseritur, *femina fuit ... Et in partu mortua ibidem sepulta dicitur. Et quia Papa eandem viam semper obliquat, creditur a plerisque, quod ob detestationem facti hoc faciat.*

Ad 4. S. Antonium, ab interpolatoribus Martini Polini deceptum, eorum dumtaxat verba refert, & de eorum veritate dubitat, maxime ob silentium Vincentii Bellovacensis & Joannis de Columna. Verè, inquit, *valde mirandum ... Si verum fuit quod vulgo dicitur, ut iste refert ... Vincentius tamen in speculo*

DISSERTATIO IV.

DE EPISCOPATU.

D. Thom. Suppl. Quaest. 40.

Episcopus graecè idem est ac latine *Inspector, Explorator, Superintendens; Sacerdos, Sacra donans; Presbyter, Senior; Diaconus, Minister.* Tria hic potissimum inquirimus. 1. An Episcopus sit institutione divina superior Presbyteris? 2. An Episcopus sit Ordo distinctus a Presbyteratu? 4. Quot Episcopi requirantur ad ordinationem Episcopalem?

ARTICULUS I.

Utrum Episcopus sit institutione divina superior Presbyteris?

ARISTOTELI saeculo IV. ægè ferens repulsam ab Episcopatu, quem ambierat, ut se solaretur, contendit nullum esse Jure divino discrimen inter Episcopos & Presbyteros. De quo Epiphanius her. 75. & Aug. l. de hæresib. c. 53. Similiter Wiclef, spe frustratus obtinendi Episcopatum Vigorniensem, eandem insaniam adoptavit, ut scribit Thomas Valdensis l. 2. Doctrinae Fidei art. 3. Horum vestigia premit Calvinus l. 4. instit. cap. 4. cui adherent Puritani, seu Presbyteriani in Anglia, pro quibus Blondellus Calvinistarum Minister prolixam instituit disputationem, quam inscripsit: *Apologia S. Hieronymi de Episcopis & Presbyteris.* Hunc enim S. Doctorem vel invitum in sua partes trahere conatur.

Observa, questionem esse de Jure divino; non enim negant Hæretici, Episcopos præminere Presbyteris Jure humano, sive tamquam primogeniti, qui fuerunt prius admissi in Clerum, sive sicut Princeps electus est superior civibus ex eorum electione & institutione. Undè plures ex nostris frustra congerunt argu-

historiali & Joannes de Columna nihil de hac re referunt. Sed essi verum fuit, &c. Ad 5. Platina patitur ab interpolatis Martini Poloni codicibus fabulam hausit; nec tamen eam ut veram asserit, quin imò significat potius eam fabularum loco habendam esse subdit enim: *Haec, quae dixi, vulgo circumferuntur, incertis tamen & obscuris Auctoribus: quae idè ponere breviter & nudè insitit, ne obstinate nimium & perniciter omnino videretur, quod fere omnes affirmant. Erremus etiam nos hac in re cum vulgo, quamquam appareat, ea, quae dixi, ex his esse, quae fieri posse creduntur.*

Quod verò de Sede stercoraria additur, ad explorandum sexum Pontificis destinata, id ut fabulosum rejicit ipse Platina, aitque, Pontificem in illa sedere, ut si hominem esse & naturae necessitatibus obnoxium meminisset: undè & stercoraria dicitur. Idque fit non ante electionem, sed post, cum novus Pontifex ritu solemniter Lateranensem Basilicam primam vice ingrediatur. Alii volunt, hanc sedem lapideam in porticu Lateranensis Basilicæ collocatam stercorariam dictam non a forma, neque enim est perforata, sed a veru, qui, Pontifice in ea sedente, canebatur: *Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem; ut sedeat cum Principibus & solum gloria teneat.* Adde, Platina fidem in Pontifices esse suspectam ob injuriam ipsi a Paulo II. factam, a quo propter seditiosam suspicionem in carcerem detrusus fuerat.

Ad 6. Pontifices eundo Lateranum deflectunt ab illa via breviori, non in detestationem ullius sceleris, sed quia est angusta & anfractuosa, ideòque incommoda Pontificio comitatu, qui semper frequentissimus esse solet. Quamquam, teste Onuphrio in notis ad Platina, Pontifices per hanc viam non semel transierint, etiam ab eo tempore, quo figurat fabula Papissae. Ad 7. Statua, quae olim visebatur, non mulierem representabat, nec infantem in sinu positum, sed puerum grandiorum praecedentem. Undè conjecterent rei antiquitatis periti in ea representari Sacerdotem Ethnicum ad sacrificandum praesente Ministro, pergentem, praesertim cum altera manu ramum palmae deferret, quod non est insigne Pontificum, qui cruceum aut clavæ gestantes representantur. Illa autem statua sublata est tempore Sixti V. qui hanc viam sicut plures alias rectiore & ampliore fieri curavit in urbis ornamentum & utilitatem.

Statua Templi Senensis equidem Papissam representabat, at imperitiae eorum, qui opus curabant, Senensium conventiculi, atque erroris ac licentiae Sculptoris tribuendum est, juxta illud Horatii. *Pictoribus atque Poëtis qualibet audent semper sicut aequa potestas.* Haec verò statua jussu Clementis VIII. sublata est.

menta, quibus probant simpliciter eminentiam Episcoporum supra Presbyteros, non distinguentes inter Jus divinum & humanum. Insistendum est ergo Juri divino.

Duplex in Episcopo distinguitur potestas: una Ordinis, qua non solum Sacramenta conficit & administrat, sed etiam fideles confirmat, chrisma conficit, Sacerdotes & alios Ministros consecrat, &c. Altera jurisdictionis, tam in foro interno, qua ligat, vel absolvit a peccatis, quam in foro externo, qua regit Ecclesiam, dogmata definit, disciplinam sancit, mores corrigit, refractarios coercet, &c. Est enim jurisdictio exterior potestas dicendi jus in alterum etiam invitum, De utraque potestate est questio.

Dico. (Suppl. q. 40. art. 4. o.) Episcopi sunt ex institutione divina superiores Presbyteris potestate Ordinis & jurisdictionis. Prob. de potestate Ordinis. 1. Apostolus ad Tit. 1. dicitur *Hujus gratia reliqui te Creta ... ut constituas per civitates Presbyteros.* Potestas instituendi Presbyteros est potestas Ordinis, nec ab alio, quam a Christo potest obtineri Episcopi nihil enim Ecclesia potest in potestatem absolutam conferendi Sacramenta. Undè, licet possit v. gr. impedire, ne Sacerdos licite consecret, non potest tamen impedire, quin valide consecret. 2. Christus solis Apostolis, & non septuaginta duobus Discipulis dixit: *Sicut misit me vivens Pater, & ego misit vos quod comprehendit utramque potestatem Ordinis & Jurisdictionis Joann. 20. Item solis Apostolis concessa est potestas dandi Spiritum S. per Confirmationem, quod est actus Ordinis Act. 8. v. 14. & seq. Episcopi autem sunt successores Apostolorum, sicut Presbyteri 72. Discipulorum, ut definit Trid. sess. 23. c. 4. post Damasum Ep. 4. S. Hieronymum Ep. 27. ad Marcellam, &*

& S. Leonem Ep. 88. Si dicas secundum ipsum Trid. sess. 22. c. 1. Sacerdotes etiam succedere Apostolis. R. Eos succedere Apostolis restrictè quoad Sacerdotium, seu munus sacrificandi & absolvendi tantum; non verò simpliciter quoad omnia alia mania. Hunc esse sensum Tridentini, patet ex ipso textu. 3. Ecclesia ab initio constanter agnovit in solis Episcopis potestatem confirmandi, Chrismata conficiendi, Sacerdotes, & alios Ministros ordinandi; nec alia ratione Synodus Alexandrina declaravit, Ischyram S. Athanasii accusatorem non esse Presbyterum, quam quia ordinatus fuerit a Collatho simplici Presbytero: potestas autem conferendi Sacramenta, ut jam dixi, non est nisi a Christo.

Prob. de potestate jurisdictionis (Ib.) 1. Quamvis Sacerdotes accipiant in sua ordinatione potestatem absolvendi in foro interno, usum tamen hujus potestatis non habent, nisi dependentes ab Episcopo, qui sic denegare, aut restringere potest, ut non possit Sacerdos validè illa uti; quod inutiliter tentaret Episcopus, nisi sic esset ordinatus a Christo: sicut inutiliter restringeret, aut impediret usum potestatis consecrandi in Sacerdote, quia hæc potestas est a Christo. 2. Episcopi sunt instituti ad regendam Ecclesiam; sic Apostolus. Act. 20. Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus S. ponit Episcopos regere Ecclesiam Dei. 2. Ad definiendum dogmata Fidei & Religionis, sic Act. 15. Apostoli in Concilio Jerusalem. congregati dixerunt; *Vitum est Spiritus S. & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, &c.* 3. Ad corrigendum; Apost. ad Tit. 1. Reliqui te Crete, ut ea que desunt, corrigas; quia potestate usus est ipse Apostolus, excommunicando in nomine Domini incestuosum Corinthium 1. Cor. 5. quæque dicit se a Deo accepisse 2. Cor. 10. *Etsi amplius inquit, gloriosus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in aedificationem, & non in destructionem vestrum, non erubescam.* 4. Ad judicandum Presbyteros 1. ad Tim. 5. *Adversus Presbyterum accusationem non recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus.* Porro nihil horum legitimus unquam fuisse concessum Presbyteris vi sui Ordinis: ergo jure concludimus, hæc Episcopis esse concessa ex institutione divina, ut expressè dicit Apostolus de potestate corrigendi devotus, & regendi Ecclesiam.

Prob. utraque Pars, juxta Trid. sess. 23. can. 6. *In Ecclesia est Hierarchia, divina ordinatione instituta, que constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris.* Idem docent SS. Patres & Concilia. Et eadem sess. cap. 24. dicitur: *Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hanc Hierarchiam præcipue pertinere, & positos, sicut Apostolus ait, a Spiritu S. regere Ecclesiam Dei, eosque esse Presbyteris superiores, ac Sacramentum Confirmationis conferre, Ministros Ecclesie ordinare &c.* Et can. 7. *Si quis dixerit, Episcopus non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem; anathema sit.* Ex his constat, quod, quamvis Concilium non dicat expressè, Episcopos Presbyteris esse superiores jure divino, id tamen aperte indicat: tum quia dicit, Hierarchiam esse ex institutione divina, & Episcopos præcipue ad illam pertinere, quatenus positi sunt a Christo, ut regant Ecclesiam, & conferant Confirmationem & Ordines, in hisque sunt superiores Presbyteris, quibus hæc prærogative non competunt; quod est aperte dicere, eos esse ex institutione divina Presbyteris superiores: tum quia Synodus non definiret tantquam fidei dogma, Episcopos præcedere Presbyteris, si hanc præminentiam haberent ab hominibus.

Prob. iterum ex SS. Patribus, S. Ignatius Martyr Ep. ad Ephesios: *Episcopi per terræ terminos definiti ex Jesu-Christi sunt sententia: Unde decet, vos in Episcopi sententiam concurrere.* Ep. ad Magnesianos, *Sed & vos decet, inquit, non familiaribus, ac superbe uti atate Episcopi, sed secundum virtutem Dei Patris omnem imperitiam illi reverentiam... non respicientes ad apparentem juvenilem ordinationem, sed ut prudentes in Deo credentes ipsi, non ipsi autem, sed Patri Jesu Christi omnium Episcopo. In honorem igitur illius, qui vult, decet vos obedire sine ulla hypocrisi, quia nequaquam Episcopum hunc quis fallit, qui videtur, sed illud invidibile, &c.* His & aliis Ignatii Epistolis nihil habent Presbyteriani, quod respondeant, nisi quod sint suppositivæ. Et eorum germanitatem solidè vindicant nostri, inter quos Natalis Alex. Diss. 20. in Hist. 1. sæculi, & Diss. 44. in Hist. 4. sæculi S. Cyprianus Ep. 37. ad Lepros, *Dominus noster, inquit, cujus præcepta metuerè & observare debemus, Episcopi honorem, & Ecclesie sue rationem dispensans, in Evangelio loquitur & dicit Petro: Ego tibi dico, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. inde per temporum & successionum vices, Episcoporum ordinatio, & Ecclesie ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituitur, & omnis actus Ecclesie per eosdem præpositos gubernetur. Cum hoc itaque divina Lege fundatum sit,*

miror, quosdam quædam temeritate sic mihi scribere voluisse: quando Ecclesia in Episcopo & Clero, & in omnibus stantibus sit constituta? Nihil expressius contra Presbyterianos. Innumeros penè alios Patres omitto, quia prolixius foret eos referre. Id unum advertant Novatores, Aërianos, juxta Epiphanium hæresis 75. semper in Ecclesia habitos fuisse hæreticos, præcipue quod nullum discrimen agnoscerent inter Episcopos & Presbyteros.

Ratio congrua suadet. (Ib. in a. s. c.) Divina Ministeria debent, Deo disponente, esse magis ordinata, quam humana; atqui humanorum officiorum ordo exigit, ut in quolibet officio præponatur unus, qui sit Princeps illius officii; sicut præponitur militibus Dux: ergo & Sacerdotibus debet aliquis præponi, qui sit Sacerdotum Princeps: & hic est Episcopus.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Juxta Scripturam idem est Episcopus ac Presbyter: ergo. Prob. Ant. Paulus ad Philipp. 1. salutari Episcopos & Diaconos, ubi per Episcopos intelligit Presbyteros, non enim in una civitate erant plures Episcopi. Idem ad Tit. 1. cum illi dixerit: *Reliqui te Crete, ut... constituas per civitates Presbyteros, statim subjungit: Oportet Episcopum sine crimine esse.* Et Act. 20. cum vocasset id se *Apollonem natu Ecclesie,* id est, Presbyteros, ipsos alioquens gregi, in quo vos Spiritus sanctus ponit Episcopos regere Ecclesiam Dei: ergo. R. D. Ant. Juxta Scripturam idem est Episcopus, ac Presbyter, quoad nomen, C. quoad gradum & potestatem, N. Quamvis ergo dignitates, gradus, potestates, & officia Episcoporum & Presbyterorum fuerint semper distincta, nomina tamen eorum initio Ecclesie erant communiata, ita ut Episcopi quandoque vocarentur Presbyteri, & Presbyteri Episcopi. Hinc Chrysostomus, expendens illa verba Ep. ad Philippenses, *Cum Episcopi & Diaconibus. Quid hoc, inquit, unius urbis multi erant Episcopi? Nequaquam, sed Presbyteros appellavit: tunc enim adhuc communicabant nominibus. Procedente vero tempore, proprium cuique distributum est nomen, ut hic quidem Episcopus, ille vero Presbyter appellatur.*

Iust. Episcopus potest ordinari a Presbytero, ut patet de Timotheo 1. ad Timotheo 4. ubi dicitur ordinatus per manum Presbyteri: ergo par est Episcopi & Presbyteri potestas. R. N. Ant. Per Presbyterum alium intelligitur coetus Episcoporum, seu Presbyterorum, qui præter Ordinem Presbyteralem etiam Episcopalem habebant. Ità Chrysostomus, qui hom. 13. in 1. ad Tim. dicit, *Presbyterium non intelligendum esse de Presbyteris, sed de Episcopis, non enim Presbyteri Episcopum ordinaverit.*

Obj. 2. S. Hieronymus in c. 1. Ep. ad Tit. & Ep. 101. ad Evangelium, aliis 85. sequentia docet: 1. Eosdem esse Presbyteros, quos & Episcopos. 2. Eminentiam Episcoporum non fuisse ab Ecclesie exordio, sed in remedium Schismatis. 3. Ecclesiam tunc communi Presbyterorum consilio fuisse gubernatam. 4. Episcopos magis ex consuetudine Ecclesie, quam dispositionis Domine veritate, Presbyteris esse majores. 5. Presbyterum fieri Episcopum electione Compresbyterorum, sicut miles, vel Tribunos fiebat Imperator electione commilitonum; & Diaconus Archiepiscopus nominatione Condiacorum. In electione autem Imperatoris, aut Archiepiscopi non est præter electionem alius ritus, seu consecratio, quæ conferat characterem, seu potestatem aliquam internam: ergo juxta Hieronymum Episcopi non præminent Presbyteris jure divino, sed humano.

Antequam huic argumento, cui potissimum confidunt Presbyteriani, respondeam, observo 1. S. Hieronymum ite ipsis locis objectis dogma Catholicum aperte docere. In 1. loco comparat Episcopos Moysi, qui, cum haberet in potestate solus præesse populo Israël, septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret. Indubium est autem, Moysen ordinatione divina majore prædium fuisse potestate, quam septuaginta quos elegit. In secundo loco agnoscit in Episcopo potestatem ordinandi, quam denegat Presbyteris: *Quid enim, inquit, facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Sub ordinationem intelligit etiam Confirmationem, ut patet ex mox dicendis. Ibidem dicit, omnes Episcopos Apostolorum successores esse. Etenim autem Apostoli jure divino Presbyteris, quos ordinabant, superiores. Tandem hanc Ep. ad Evangelium sic concludit: *Et ut sciamus Traditiones Apostolicas sumptas de veteri Testamento, quod Aaron & filii ejus atque Levitæ in templo fuerint, hoc sibi Episcopi & Presbyteri & Diaconi vindicent in Ecclesia. Nemo autem nescit, majorem ex institutione divina fuisse potestatem Aaronis, quam Levitarum. Erat enim Aaron summus Sacerdos, seu Pontifex, solus poterat ingredi semel in anno Sanctuarium, h. e. debet partem specialem ex oblationibus, & super Sacerdotes & Levitas ampli-*

simam jurisdictionem: Exod. 28. Levit. 9. Eccli. 45. Eadem doctrinam aliis in locis constanter tenet S. Doctor. In Dialogo contra Luciferianos dicit, potestatem confirmandi in Episcopis ex auctoritate descendere, quod Spiritus S. ad Apostolos descendit. Ep. 54. ad Marcelum hoc inter Catholicos & Montanistas ponit discrimen; *Apud nos Apostolorum locum tenent Episcopi, apud eos Episcopus tertius est.* Item l. 1. adversus Jovin. c. 19. Ep. 2. ad Nepotiam & alibi.

Observo 2. Hieronymum in 1. loco agere contra Episcopos, qui immoderate supra Presbyteros se efferebant: in 2. contra arrogantiam Falcidii Diaconi, qui se Presbyteros coquebat; & ideo in utroque loco totus est in extollenda Presbyterorum dignitate: familiare autem est Scripioribus, cum unam extremam acris impugnant, ut in aliud extremum impingere videantur.

Observo 3. ut supra, duplicem esse Episcopi potestatem, Ordinis scilicet & jurisdictionis, præsertim hæc exterioris; hancque posse considerari dupliciter, vel secundum se & in actu primo, vel quoad usum & actum secundum. Quamvis autem priori modo considerata sit propria solis Episcopis, ejus tamen usum & exercitium in exordio Ecclesie communicabant Presbyteris, eos adhibentes tanquam consiliarios in regimine exteriori Ecclesie, ad exemplum Moysi, inquit ipse Hieronymus citatus, qui, cum haberet in potestate solus præesse populo Israël, septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret.

Ex his facile intelligitur, quæ fuerit mens S. Hieronymi, & spontè fuit solutio ad ea, quæ ex ipso objiciuntur. Undè

Ad 1. D. Secundum Hieron. idem sunt Presbyteri, qui & Episcopi, quoad nomen & aliquem usum jurisdictionis externæ gratis concessum, C. quoad characterem, gradum, & ipsam potestatem sive Ordinis, sive jurisdictionis, N. Solutio patet ex dictis, & partim traditur ab ipso Hieron. in Commentariis cit. in Ep. ad Tit. *In una civitate, inquit, plures, ut nuncupantur, Episcopi esse non poterant; sed quia eosdem Episcopos illo tempore quos & Presbyteros appellabant, propter eadem indifferenter de Episcopis quasi de Presbyteris est locutus.* Insuper ex his verbis colligitur, Hieronymum agnovisse Episcopum gradu & dignitate distinctum a Presbytero; si enim non poterat esse nisi unus Episcopus in una civitate, in qua plures essent Presbyteri: ergo Episcopus gradu & dignitate distinguebatur a Presbyteris.

Ad 2. eadem est distinctio. Præminentia Episcoporum supra Presbyteros, quoad potestatem Ordinis & jurisdictionis, non fuit ab exordio Ecclesie, sed in remedium Schismatis, N. Quoad aliquem usum istius jurisdictionis, C. Diximus enim, tunc Ecclesie regi & res Ecclesiasticas administrari communi Presbyterorum cum Episcopo consilio cui tamen Episcopus jure suffragii, & auctoritate judicandi & decernendi, præsidebat. Cum verò Schismata inde orientur, & diceretur in populis: ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cepha, ut contigit apud Corinthios; hæc regimini forma immutata est, & penes solum Episcopum omnis Ecclesie cura remansit. Quod vero ex hoc Schismate Hieronymus repetat institutionem Episcoporum, ut præterit Blondellus, aperte falsum est. Non enim ignorabat S. Doctor, B. Jacobum Fratrem Domini fuisse ordinatum Episcopum Jerusalem, S. Petrum sedisse Antiochiæ, Marcum Alexandriæ, & S. Petrum Evodium successorem suum ordinasse, antequam oriretur Schisma inter Corinthios.

Ad 3. patet solutio ex dictis. Ad 4. D. Episcopi magis consuetudine, quam dispositione divina sunt majores Presbyteris, quantum ad potestatem Ordinis & jurisdictionis, N. quantum ad actualem regimen Ecclesie & totius jurisdictionis usum, C. Non enim est Juris divini, quod res Ecclesie a solo Episcopo, seclusis Presbyteris de facto administrantur. Imò secundum se, & sepositis inconvenientibus, convenientius foret, quod Ecclesie administrarentur communi Senatui Ecclesiastici consilio, & hoc sensu addit S. Hieronymus, *Episcopos in communi debere Ecclesiam regere.* Hanc esse mentem S. Doctoris, clarè significat exemplum Moysi, de quo supra, quod immedie subiungit: *Imitantes, inquit, Moysen, qui, cum haberet in potestate solus præesse populo Israël, septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret.* Ex quo constat juxta Hieron. ut jam observavimus, quod Episcopi sint jure divino Presbyteris superiores quoad ipsam potestatem, sicut Moyses erat institutio divina superior septuaginta, quos elegerat, quamvis initio consueverit usum suæ jurisdictionis communicare Presbyteris, sicut Moyses septuaginta electis. Undè, quod nunc amplius non communicant, consuetudine ponis quam institutione divina effectum est.

Ad 5. comparatio Hieronymi tenet quoad aliquid, non quoad omnia. In hoc ergo est paritas, quod, sicut olim eligebatur Imperator a commilitonibus ex corpore exercitus, sic eligebantur Episcopi a Compresbyteris ex cœtu Presbyterorum. Sed in hoc est disparitas, quod præter electionem requiritur in

Episcopo consecratio, qua illi conferatur potestas interna Ordinis & jurisdictionis; secus in Imperatore. Hanc autem consecrationem in Episcopo requisitam non expendit Hieronymus; quia nihil ad suum institutum conferebat.

Si objicias Catonem Presbyterum, & S. Britium, apud S. Gregorium Turonensem, nec non quosdam alios ex quibusdam historiis Scoticis & Britannicis, qui videntur creati Episcopi ex sola Sacerdotum, aut populorum electione, absque ulla alia consecratione. R. vel illos non fuisse veros Episcopos, ut patet de Catone ex ipso Gregorio Turonensi, vel pariter electionem Cleri, aut populi fuisse consecratos ab Episcopis, sive vicinis, sive extraneis advocatis, vel quæsitis, ut probat Natalis Alex. Dissert. 44. in Hist. 4. sæculi. Ex hinc usque dictis de S. Hieronymo habetur solutio ad quædam affinia, quæ opponuntur ex S. Chrysost. Theodoro, Theophylacto, Isidoro Hispanensi, Beda, Alcuino, Amalario, Hincmaro, & aliis. Multa insuper opponit Blondellus ex aliis SS. Patribus & Scripioribus antiquioribus, sed sunt leviores momenti, & partim ex dictis solvuntur. Ea singulatim referet & solidè refellit laudatus Alexander Dissert. cit. nobis autem diutius illi immorari non vacat.

Obj. 3. Presbyteri baptizant, consecrant, intersunt Conciliis, interdum etiam ordinant & confirmant, ut alibi diximus: Quod ergo inter eos & Episcopos discrimen? Item, juxta Aug. Hieron. & Isidorum, hoc est discrimen inter Episcopum & Presbyterum, quod nomen Episcopi sit nomen officii, nomen autem Presbyteri nomen ætatis. Denique Aug. Episcopus Ep. 82. olim 19. non audeat se prætere Hieronymo simplici Presbytero: ergo. R. ad 1. Presbyteri baptizant & consecrant, sed non generant alios Presbyteros, inquit Epiphanius. Quod si generent Ministros inferiores, & confirmant baptizatos, id non faciunt potestate ordinaria sicut Episcopi, sed ex dispensatione & commissione. Intersunt Conciliis, non jure suffragii & decisionis, & ideo non subscribunt Decretis Conciliorum, nisi sint missi ab Episcopis; sed jure consultationis, atque ut fidem adstruant, ac defendant. Ad 2. laudati Patres rectè explicant horum nominum etymologiam; Hieronymus enim idem est ac inspector, seu superintendens, ut jam dixi, quod est officii; Presbyter idem ac senior, quod est ætatis. Ad aliud est id, a quo nomen imponitur, aliud id, ad quod significandum imponitur. Ad 3. Augustinus non audeat se comparare Hieronymo, non quoad dignitatem Episcopalem, sed quoad ætatem, eruditionem, & sanctitatem, quod ejus humilitati tribuendum est.

Obj. 4. Secundum plurimum sententiam Episcopus accipit jurisdictionem a Papa: ergo non est jure divino Presbyter superior, saltem quantum ad jurisdictionem. R. N. Consequ. Est enim Episcopus accipiat suam jurisdictionem immediate a Papa, de quo nunc non est quæstio, non sequitur, quod Christus non sic instituerit, ut Episcopus majorem a Pontifice jurisdictionem accipiat quam Presbyter, sicut sit ex institutione divina Presbyterio superior, etiam quoad jurisdictionem. Hanc autem jurisdictionem accipit Episcopus, quando ex Apostolicæ Sedis licentia ordinatur.

ARTICULUS II.

Utrum Episcopatus sit Ordo distinctus a Sacerdotio?

Ordo (Suppl. q. 40. art. 5. o.) potest dupliciter accipi, uno modo strictè secundum quod est Sacramentum ordinatum ad Eucharistiam; alio modo latè, secundum quod est officium quoddam respectu quarundam actionum sacrarum. Item Episcopatus potest dupliciter considerari: 1. adæquate secundum omnem potestatem, quam essentialiter importat, scilicet consecrandi, absolvendi, ordinandi, confirmandi, & gubernandi. Est enim Episcopus essentialiter Sacerdos, ut dicam modò. 2. inadæquate pro eo quod addit simplici Sacerdotio, seu pro potestate tantum ordinandi, confirmandi, & gubernandi.

Suppono 1. (Ibid.) Episcopatum, inadæquate sumptum, esse Ordinem in latiori significatione a Sacerdotio distinctum, quia confert potestatem in actionibus hierarchicis respectu corporis Christi mystici, scilicet potestatem ordinandi, confirmandi, & jurisdictionis, quam non habet simplex Sacerdos. Suppono 2. Episcopatum adæquate sumptum verè esse & dici Ordinem strictè sumptum, seu Sacramentum Ordinis; quia, ut jam dixi & dicam iterum infra, essentialiter importat Sacerdotium, & quod illi superaddit, non destruit rationem & denominationem Ordinis; quia perfectio superveniens generi non destruit rationem & denominationem illius. Sic rationale superveniens animali non destruit rationem & denominationem animalis in homine: qualitas Ducis superveniens militi non destruit rationem & denominationem militis in Duce. Superest itaque quæstio, utrum Episcopatus, inadæquate sumptus pro eo, quod addit simplici Sacerdotio, sit Ordo strictè sumptus pro Sacramento, ab ipso Sacerdotio distinctus.

Dico. (Ibid.) Episcopatus, inadequatè sumptus pro eo, quod addit simpliciter Sacerdotio, probabilis non est Ordo stricte sumptus, seu Sacramentum Ordinis, nec consequenter Ordo distinctus a Sacerdotio, sed est ejus extensio & perfectissimum complementum. Præter Auctorem citatur pro ea sententia Magister, Albertus Magnus, S. Bonav. Scotus, Richardus, Paulinus, Dominicus Soto, Nugno, Bonacinas, Reginaldus, Henricus, Comitulus, Amicus, Gabriel, &c. & communiter Thomistæ, exceptis paucis contra plures præsertim Recentiores.

Prob. 1. Trid. sess. 23. c. 2. recensendo Ordines, septem tantum numerat & nominat, omisso Episcopatu; & Can. 2. loquitur de Sacerdotio tanquam de supremo Ordine, ad quem per alios Ordines ascenditur: Si quis, inquit, dixerit, præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines majores & minores, per quos velut gradus quosdam in Sacerdotium tendatur; anathema sit; atqui, si Episcopatus esset Ordo distinctus a Sacerdotio, non tantum forent septem, nec appareret ratio, cur Concilium illum omisit: item nec Sacerdotium foret Ordo supremus, sed Episcopatus.

Respondent, Concilium non numerasse Episcopatum inter Ordines, quia, licet a Sacerdotio specie distinguatur, genere tamen est unus. Sed contra. Eadem ratione non debuisset numerare septem Ordines, quia, licet inter se specie distinguantur, sunt tamen etiam genere, seu ratione generica Ordinis unus.

Prob. 2. (Ibid. & q. 37. art. 2. a.) Distinctio Ordinum accipitur secundum habitudinem, quam habent ad Eucharistiam; quia potestas Ordinis aut est ad Consecrationem, aut ad aliquod ministerium ordinatum ad Sacramentum Eucharistiae, quæ est finis ceterorum, & Sacramentum Sacramentorum; atqui Episcopatus non dicitur speciale habitudinem ad Eucharistiam consecrandam, sed eam supponit completam & perfectam in Sacerdotio; non enim potest Episcopus magis consecrare, quam simplex Sacerdos: ergo.

Respondent, quod dicat habitudinem indirectam & remotam ad Eucharistiam, quatenus ordinat Presbyteros, qui possunt illam conficere, & consecrat Calices ad Eucharistiam conficiendam. Sed contra: 1. Episcopatus non ordinat propriam subjectam ad Eucharistiam, sicut alii Ordines, sed aliorum tantum subjectum; & cum supponat in proprio subjecto completam potestatem consecrandi ratione characteris sacerdotialis, non potest esse nisi illius complementum, quo scilicet fit potens alios ad Eucharistiam ministerium ordinare. 2. Si per hanc habitudinem indirectam & remotam Episcopatus constitueretur Ordo distinctus a Sacerdotio, esset illi inferior, siquidem potestas sacerdotalis consecrandi corpus Christi sit longè nobilior & excellentior, quam potestas consecrandi Sacerdotes & Calices. Confirm. Si Episcopatus esset Ordo distinctus a Presbyteratu, vel esset ipsi par, vel inferior, vel superior. Non par; quia essentia rerum non secus ac numeri per inæqualitatem constituuntur. Non inferior; quia Episcopatus est & dicitur apex Sacerdotii, & Episcopus dicitur a S. Augustino primus Sacerdos, seu Princeps Sacerdos. Non superior; quia, ut modò dicebam, nulla est potestas superior & sublimior potestate in corpus Christi naturale, quam confert Sacerdotium; hæcque longè præstat potestati in corpus Christi mysticum, quam confert Episcopatus.

Prob. 3. (Ibid. in a. s. c.) Episcopatus includit Sacerdotium, non eminentè tantum, sicut v. gr. Sacerdotium includit Diaconatum; sed essentialitè formalitè, ita ut non possit esse, nec concipi Episcopus sine Sacerdotio, & ideo dicitur Sacerdos primus, Sacerdos Princeps; nec characterem distinctum imprimi, sed Sacerdotalem tantum extendit: ergo non est Ordo a Sacerdotio specie distinctus; una enim species non includit formalitè essentialitè alteram, aliàs jam non forent duæ species, sed una. Prob. Ant. Si Episcopatus contineret tantum eminentè, & non formalitè essentialitè, Sacerdotium, sicut Ordines superiores continent inferiores, & imprimeret characterem distinctum; non Sacerdos posset validè fieri Episcopus; sicut non Diaconus potest validè fieri Sacerdos; inter enim Ordines distinctos non est essentialis dependentia, sic ut susceptio superioris pendat a susceptione inferioris. Et sicut non Diaconus Sacerdos consecratus posset omnia munia Diaconi implere, quia illum eminentè continet, ita non Sacerdos consecratus Episcopus posset omnia Sacerdotis munia exercere, consequenter conficere Eucharistiam sine characterè sacerdotiali, quia Episcopatus illum eminentè continet; quod planè est absurdum: ergo.

Respondent Tourneley & Berti post Estium, idèd non posse validè consecrari Episcopum, qui non sit Sacerdos, quia potestas ordinandi & confirmandi, cum sit eximia, ex divina institutione solis Sacerdotibus communicari potest. Sed contra; non advertunt oculatissimi Theologi, potestatem consecrandi

corpus Christi esse nedum eximiam, sed longè præstantiorem potestate confirmandi & ordinandi, & tamen non esse divinam institutionem, ut non communicetur, nisi Diaconis. Quare ergo esset divina institutio, ut potestas longè inferior ordinandi & confirmandi non communicetur nisi Sacerdotibus; sic enim se habet Episcopatus ad Sacerdotium, in hypothesi respondentium, sicut Sacerdotium ad Diaconatum. Gratuita igitur videtur hæc responsio, & aliunde repetenda est hujus disparitatis ratio. Nec videtur alia, quam quia Sacerdotium continet Diaconatum eminentè tantum, non formalitè; Episcopatus e contra continet Sacerdotium formalitè. Admittimus itaque divinam institutionem, sed eam, qua Presbyteratus & Episcopatus sic sunt instituti, ut Episcopatus contineat formalitè Presbyteratum; sic autem Diaconatus & Presbyteratus, ut Presbyteratus contineat eminentè tantum Diaconatum; idèdque Presbyter sine Diaconatu possit ordinari, non Episcopus sine Sacerdotio.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Ex his, quæ Apostolus dicit 1. ad Tim. 4. Noli negligere gratiam, quæ data est tibi. 2. cum impositione manuum Presbyterii; & 2. ad Tim. 1. Admonet te, ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum, probant nostri Theologi, Ordinem esse Sacramentum; nec habeat, unde efficacius illud probent ex Scriptura; atqui ibi agitur de Episcopatu collato Timotheo: ergo vel Episcopatus est Sacramentum, vel non habemus, unde efficaciter probemus ex Scripturis contra Hæreticos, Ordinem esse Sacramentum. R. 1. Hoc argumentum non militat contra nos, qui dicimus Episcopatum adæquatè sumptum esse verè Sacramentum Ordinis includens formalitè essentialitè Sacerdotium. 2. Etiam sumendo Episcopatum inadæquatè, N. Conseq. quia hoc ipso quo est complementum intrinsecum Sacramenti Ordinis, & locis Scripturæ, in quibus agitur de illo, bene probatur, Ordinem esse Sacramentum; quia fieri non potest, quod Ordo completeretur in ratione Sacramenti per Episcopatum, nisi Ordo sit Sacramentum.

Obj. 2. Plures SS. Patres Consecrationem Episcopi vocant ordinationem, Ordinem, Sacramentum. Trid. sess. 23. Can. 6. definit, Ecclesiasticam Hierarchiam divina ordinatione institutam constare Episcopis, Presbyteris, & Ministris: & cap. 4. declarat, Episcopos ad eam præcipuè pertinere. S. Dionysius cap. 5. de Eccl. Hierarchia assignat hos tres Ordines Ecclesiasticæ Hierarchiæ, Episcopatum, Sacerdotem, & Ministrum: ergo. R. hæc intelligenda esse, vel de Ordine, prout est officium ad aliquos actus sacros, qui diversi sunt secundum diversos gradus Hierarchiæ; vel de Episcopatu adæquatè sumpto, prout includit formalitè Sacerdotium. Sin minus appellat Sacramentum, quia est complementum intrinsecum Sacramenti.

Obj. 3. Consecratio Episcopi est ceremonia sensibilis distincta a Consecratione Presbyteri, confert gratiam & characterem: ergo nihil ipsi deest, quominus sit Sacramentum, & Ordo distinctus a Presbyteratu. Ant. quoad 1. partem constat; secunda traditur a Concilio Trident. sess. 23. Can. 4. a D. Th. in cap. 4. 1. ad Timoth. sect. 4. & in cap. 1. ad Timoth. lect. 1. a S. Ambrosio de dignitate Episcopali cap. 5. & aliis. Tertia pars probatur; quia traditur specialis potestas spiritalis & indelebilis ad ordinandum & confirmandum, quæ non competit Sacerdoti; atqui character nihil est aliud, quam potestas spiritalis indelebilis ad sacros actus: ergo. R. Concessa 1. parte Ant. ad 2. sufficere, quod Episcopatus sit complementum intrinsecum Sacramenti, ut confert gratiam. (Ibid. ad 2.) Ad 3. nego, conferri characterem distinctum a sacerdotali, sed hunc extendi, non moralitè, sed per realem & physicum modum ad Ministeria ulteriora; sicut in ordinatione Presbyteri character sacerdotalis, ad consecrandum collatus in porrectione instrumentorum, extenditur ad absolvendum & ligandum, quando postea dicitur: Accipe Spiritum S. quorum remisit peccata, &c.

Obj. 4. S. Thom. Opusc. 18. c. 24. sic habet. Quod quartò opponitur, quod Episcopatus non est Ordo, hoc manifestè continet falsitatem, si absolute intelligatur. Et postea: Quod autem habeat aliquem ordinem, & non jurisdictionem solum, sicut Archidiaconus, vel Curatus Presbyter, patet ex hoc, quod potest multa facere, quæ non potest committere, sicut confirmare, ordinare, &c. Et scribens in 2. ad Tim. c. 1. dicit, quod in impositione manuum, qua Timotheus fuit ordinatus Episcopus, data fuerit gratia Spiritus S. Hæc autem scripsit post commentaria in 4. unde conclusio nostra desumpta est, idèd ceteri debent probabiliora, & præcedentium revocata. Ita docetis. Sylvius. R. Miror, spectatissimum Doctoris Angelici interpretationem hæc non potuisse conciliare cum his, quæ hic docet S. Doctor, si quidem aperte se explicet. Dicit ergo, quod Episcopus

copatus sit Ordo, si nempe Ordo consideretur secundum quod est officium quoddam respectu quarundam actionum sacrarum, non verò secundum quod Ordo est Sacramentum. Hæc dicit non solum in præsentis articulo, quem expendimus, sed etiam in ipso opusculo 18. cit. in objectione, ubi post verba objecta subjungit: Habet enim Ordinem Episcopus per comparationem ad corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia... sed quantum ad Corpus Christi verum, non habet Ordinem supra Presbyterium: docet autem priori loco, quod Ordo, ut est Sacramentum, attendatur secundum relationem ad corpus Christi naturale. Quantum ad collationem gratiæ, diximus sufficere, quod Episcopatus sit pars & complementum intrinsecum Sacramenti.

ARTICULUS III.

Quot Episcopi requirantur ad ordinationem Episcopalem?

Suppono 1. tanquam certum, tres Episcopos requiri ex præcepto saltem Ecclesiastico ad unum Episcopum ordinationem licitam, ita ut aliter ordinari, & ordinatus peccent mortalitè. Ita enim præcipitur Can. 20. Concilii Arelat. 1. ann. 324. Can. 4. Concilii generalis Nicæni 1. ann. 325. Can. 12. Concilii Carthag. 2. Can. 39. Concilii Carthag. 3. & in Pontificali Rom. atque ita ab Ecclesie exordio constantè observatum est.

Suppono 2. etiam ut certum, quidquid dicant aliqui, Ordinationem Episcopalem, factam ab uno tantum ex variis exemplis. 1. S. Gregorius l. 10. Ep. 64. interrogatus ab Augustino Anglorum Episcopo, an posset solus Episcopus ordinare? Sic respondit. Et quidem in Anglorum Ecclesia, in qua adhuc solus tu Episcopus inveniris, ordinare Episcopum non aliter nisi sine Episcopi potes. Vitiosa est altera lectio, quæ habet, nisi cum Episcopi potes, ut notat nova Editio Parisiensis. Et patet, quia non præmissis Gregorius: Tu solus Episcopus inveniris, si voluisset significare, quod non nisi cum Episcopis potest alios ordinare. 2. Henriquez Tom. 4. c. 20. refert, Gregorium XIII. concessisse Patriarchæ Aethiopiæ Jesuitæ, ut solus consecraret Episcopos. 3. Herinx, referente Henno, testatur, se vidisse duo indulta Innocentii X. quorum uno concedebat, ut Jacobus de la Torre consecraretur Archiepiscopus Ephesus a solo Episcopo Neritensi, qui fuit postea Alexander VII. modo assistente duo in Ecclesiastica dignitate constituti; & altero permittebat Suffraganeo Leodiensi consecrari in Episcopum Dionysium a quolibet Antistite Catholico, modò concurrent duo Abbates mitrati. 4. Alexander VII. ann. 1663. teste Andrea a Matre Dei, concessit Josepho a S. Maria Carmelitæ Discalceato Episcopo Hieropolitano, ut solus cum duobus Presbyteris consecraret Episcopum in Regno Malabar Alexandrum de Compo. 5. Innocentius X. teste Gavardi Tom. 6. p. 526. concessit Godefrido Duci Francie Orientalis, ut ab uno Episcopo cum assistente duorum Abbatum ordinaretur Episcopus. Hæc autem omnia negare, morosi foret, & pernicia animi.

Et ex his quidam inferunt, tres Episcopos non requiri Jure divino ad validitatem Ordinationis Episcopalis, sed unum sufficere, quia, inquit, Pontifex non potest dispensare in Jure divino. Verum arbitror, illegitimam esse illationem. Potuit enim Christus instituire, ut tres Episcopi essent Ministri ordinarum Consecrationis Episcopalis, & quod unus ex commissio Pontificis esset Minister extraordinarius, sicut diximus de Ministro Confirmationis & Ordinis; in quo casu Pontifex non dispensaret in Jure divino, sed secundum Jus divinum ageret. Et ita censent plures, qui sustinent necessitatem trium Episcoporum Jure divino ad validam consecrationem Episcopalem. Questio est itaque, utrùm, seclusa dispensatione Pontificia, tres Episcopi Jure divino requirantur ad consecrationem validam unius? Plures affirmant, nec improbabilitè. Plures negant, & ut videtur probabilis; cum quibus

Dico. Tres Episcopi non requiruntur Jure divino ad validam ordinationem Episcopalem, sed unus sufficit. Prob. 1. In Constit. Apost. quæ tribuntur S. Clementi l. 8. c. 27. aliàs 33. dicitur: Si necessitas urgeret, Episcopus ab uno ordinari possit. Respondet Gonet, hunc textum esse vitiatum, sed non sufficienter probat. Si insuper dicas, Constitutiones Apostolicas esse duobus fidei, quæ sunt apocrypha, dicam paritèr Epistolam Anacleti, in qua potissimum fundantur Adversarii, esse dubie fidei, quia etiam est apocrypha.

2. In Pontificali Romano unus tantum Episcopus vocatur Consecrator, alii verò Assistentes. Et S. Gregorius citatur Episcopos alios ab uno consecrante vocat testes. Quamvis autem non repugnet. Consecratorum dici assistentes & testes, si tamen omnes æque consecrent, non est ratio, cur unus tantum dicatur Consecrator, & alii solum assistentes & testes.

Confirm. Juxta Can. 2. Concilii Carthag. 4. ab omnibus Theol. Billuart. Pars Tertia.

Episcopis tangitur caput Electi, sed ab uno tantum funditur benedictio, seu forma pronuntiatur: ergo unus est Consecrator. Si dicas, Christum sic potuisse instituire, ut plures ponerent materiam, & unus proferret formam; ita quidem potuit, sed an fecerit, questio est; nec supponendum, sed probandum.

3. Unus Episcopus habet plenam potestatem Ordinis, quæ ex aliorum præsentia non augetur, nec minuitur: ergo potest unus, quod possunt tres. Confirm. In aliis Sacramentis sufficit unus Minister; quidni in Ordinatione Episcopi, sive sit Sacramentum, sive complementum Sacramenti? Neque est, quod iterum recuratur ad voluntatem Christi sic instituentis; sed hæc enim voluntate disputatur, nec sufficienter probatur in sententia opposita, ut patebit ex Solutionibus Objectionum.

4. Prob. exemplis. Inter plura duo seligo. Primum, Theodoretus l. 1. Hist. c. 23. refert, Evagrium 1v. sculo consecratum fuisse Episcopum Antiochen. a solo Paulino, hujusque Evagrii Communionem Occidentales retinuisse contra Flavianum etiam Episc. Antiochiæ; consequenter ejus ordinationem ut validam habuisse, quamvis factam contra Canones. Item Innocentius Ep. 22. ad Bonifacium jubet, ordinatos ab Evagr. recipi, & quamvis causa ejus in Synodo Rom. Capnana, & Alexandriana fuerit discussa, semper habita fuit valida.

Respondent 1. ex Baronio, Theodoretum Flaviani partibus adictum falsa narrasse de Ordinatione Evagrii, facta a solo Paulino; quia Socrates l. 5. c. 15. & Sozomenus l. 7. c. 12. referunt, Evagrium non fuisse ordinatum nisi post mortem Paulini. 2. Dato, Evagrium a solo Paulino ordinatum fuisse, probandum daretur, id factum fuisse sine dispensatione Pontificis. Sed contra 1. Sozomenus nihil hæc de re habet loco cit. a Baronio saltem in Editione Coloniensi 1613. qua utor. Socrates verò dicit tantum quod, cum Paulinus morte occubuerat, Populus illius Ecclesie Flavianum detestatus est, & propterea Evagrium, sive sue factionis Episcopum designari constituit. Quibus verbis non significatur, Evagrium tunc ordinatum fuisse, sed Paulini votis accessisse Populi suffragium, eumque Episcopum voluisse, quem prius ordinaverat Paulinus. Idem dicit ipse Theodoretus: Cum Evagrius inquit, ejus (Paulini) sedem post illud obtinisset. Quoad 2. facile probatur, non accessisse dispensationem Pontificiam pro hac ordinatione a solo Paulino facta, ex ipso Theodoro, qui scribit ibidem, Evagrium contra Legem Ecclesie designatum fuisse, complures Canones in ejus ordinatione violatos; siquidem Canones neque faciunt potestatem cuiquam jam mortem appetituro quemquam in locum suum sufficere: atque omnes Provincie Episcopos jubent in unum ad eam rem convocari. quin etiam vetant rursus, quemquam absque tribus Episcopis Episcopum constitui; attamen nihil horum scire cupientes (Romani & Aegyptii) Evagrii communionem sunt illi amplexati.

Alterum exemplum. Concilium Regense ann. 439. improbatur Ordinationem Armentarii, qui ordinatus fuerat Episcopus Ebreddensis a duobus tantum Episcopis, non expetitis Comprovincialium litteris, & sine consensu Metropolitanis; & tamen Can. 4. concedit ipsi, ut baptizatos confirmet, & ordinatis ab ipso, si sint inculpate vitæ, permittit in suis Ordinibus permanere.

Respondent, simplicem Presbyterum posse confirmare ex dispensatione Pontificia, & ordinatos ab Armentario fuisse de novo consecratos. Et hæc, quia in secundo Canone Ordinationis Armentarii dicitur irrita, evacuanda, & nihil habere quod faceret Episcopum.

Sed contra. Quis credat, Patres Concilii Regensis Presbytero simplici Canonum violatori indulsisse, ut Episcopi munia obiret, eamque licentiam a summo Pontifice in ejus gratiam emendicasse? Ordinatos ab Armentario rursus nova ordinatione fuisse initiatos, figmentum est, cujus ne vel umbra in dicto Concilio. Ratio autem utriusque Responsionis omninò frivolæ; quia hi termini, irrita, nulla, evacuanda, non facere Episcopum, non esse Episcopum, & similes, sunt æquivoci, & tam solitis executionibus, quam substantiæ privationem important. Sic Pontifices & Synodi declarant, Simoniacorum ordinationes esse cassas & irritas: item Concilium Nicænum Can. 17. declarat irritam ordinationem, factam a non proprio Episcopo. His ergo terminalis in præsentis materia significatur, non ordinatum a tribus Episcopis privari, non characterè & potestatem Episcopali, sed ejus functionibus, honore nominis & gradus, ac si non esset Episcopus, eumque esse deponendum: alioquin sequeretur, invalidam etiam esse ordinationem factam, non expetitis Comprovincialium litteris, & voluntate Metropolitanis neglecta: hæc enim jungit Concilium defectui trium Episcoporum. Confer Objectiones sequent.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Can. Porro d. 66. ex Anacleto Ep. 2. ad Episcopos Italice dicitur: Jerosolimitanus primus Archiepiscopus B. Jacobus... a Petro, Jacobo, & Joanne Apostolis est ordinatus, sub

successoribus videlicet suis dantibus formam, ut non minus quam a tribus Episcopis, reliquis omnibus assensum præbentibus, nullatenus Episcopus ordinetur, & communi voto ordinatio celebretur. Nec obstat, quod Jacobus jam esset ordinatus a Christo, & tantum fuerit ita ut dicam, inthronizatus a tribus Apostolis; saltem juxta Anacleum per hunc ritum Apostoli dederunt formam ordinandi Episcopum per tres alios Episcopos; Sine forma autem non subsisti. Ordinatio: ergo. R. omisso, quod opponi posset contra auctoritatem hujus decretalis, quæ communiter habetur apocripha, D. Maj. Apostoli in ordinatione Jacobi dederunt formam ordinandi Episcopos ceremoniam, & accidentalem, sine qua ordinatio est illicita, C. essentiali, sine qua Ordinatio est invalida, N. Veritas hujus solutionis manifesta est ex Canone præcedente ibidem, ubi ex Aniceto, Ep. ad Episcopos Gallie, dicitur: *Archiepiscopus ab omnibus sue Provincie Episcopis ordinatur... sin aliter præsumptum fuerit, viribus carere non dubium est, quia irrita erit ejus acta Ordinatio.* Hæc sane fortius urgent, quam quæ obijciuntur, si quidem in illis declaratur *Viribus carere & irritam esse ordinationem Archiepiscopi, non factam ab omnibus Suffraganeis, quod non habetur in Ep. Anaclei: & tamèn nemo censet, Ordinationem Archiepiscopi non factam ab omnibus suis Suffraganeis esse invalidam.* Hi ergo termini & similes, ut jam dixi, nihil aliud significant, quam quod sic ordinatus contra Canones privetur functionibus & honore sui Ordinis, habeaturque tamquam non Episcopus.

Obj. 2. Cap. *Chorepiscopi* d. 63. ex Damaso Papa dicitur de Chorepiscopis: *Quod autem Episcopi non sint, qui minus quam a tribus sunt ordinati Episcopis, omnibus patet; quoniam, ut bene nostis, prohibitum a sanctis est Patribus, ut qui ab uno, vel à duobus sunt ordinati Episcopis, nec nominentur Episcopi: si nomen non habent, qualiter officium habebunt?* idem Joannes III.: ergo. R. D. Ordinatio minus quam a tribus Episcopis non sunt Episcopi quoad honorem, gradus, & officium, ut Canon ipse dicit, C. Quia sunt suspensi a suis functionibus, & quantum ad hoc habentur quasi non Episcopi. Quantum ad characterem & potestatem Episcopalem, N. Solutio patet ex præcedentibus.

Inst. Leo III. ad Episcopos Gallie tempore Caroli magni declarat, non esse Sacerdotes & Diaconos, qui erant a Chorepiscopis ordinati: ergo. R. vel Leonem loqui de Chorepiscopis, qui erant simplices Sacerdotes, vel intelligit, ordinatos illicitè ab ipsis non esse Sacerdotes & Diaconos quoad exercitium sui Ordinis, non quoad characterem, ut dictum est.

Urgens. Episcopi Gallie & Germanie, hoc responso Leonis accepto, pronuntiarunt *Irritum* quicquid a Chorepiscopis episcopaliter præsumptum est; nam *Episcopi non erant, inquit, quia nec canonicè a tribus Episcopis ordinati:* ergo. R. iterum, ut antè Pronuntiarunt *Irritum*, id est illicitum; dixerunt, *non esse Episcopos*, quoad officium scilicet & usum suarum functionum. Vel dicendum, quod, cum essent Chorepiscopi duplicis generis, ut alibi diximus, alii simplices Presbyteri, alii Episcopi, & ubique lex de adhibendis tribus Episcopis in Ordinatione Episcopi servaretur, bene inferebant Præsules Gal-

lie & Germanie, eos, qui ab uno tantum ordinati fuerant, non fuisse ordinatos in Episcopos, sed in simplices Presbyteros.

Repones. S. Cyprianus Ep. 68. scribit, custodiendum & tenendum esse de traditione divina & Apostolica ordinatione, ut, ad ordinationes ritè celebrandas, cum plebe, cui præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provincie proximi quique conveniant. R. 1. Hanc instantiam non lvere iis, quos oppugnamus, qui tres tantum Episcopos de necessitate Sacramenti requirunt, non plebem, nec omnes Episcopos proximos Provincie 2. Neg. Conseq. non enim solum, quæ sunt essentialia Sacramenti, sed etiam quæ sunt tantum ipsis extrinseca quandoque habemus ex Apostolica Traditione, ut patet in mixtione aquæ cum vino ad consecrationem. Undè in hac materia sicut in aliis pluribus, distinguendæ sunt Traditiones, quæ pertinent ad disciplinam, & quæ statuunt dogmata inviolabilia.

Cæterum his omnibus testimoniis Anaclei, Damasi, Leonis, Joannis, & Præsolium Gallie & Germanie oppono can. 1. Apost. in quo dicitur: *Episcopus a duobus, vel tribus ordinatur.* Cap. 2. l. 3. Constituit. Apost. ubi legitur: *Subemus, ut a tribus Episcopis Episcopus ordinetur, & ut minimum a duobus, ita ut ab uno constitui non possit; testimonium enim duorum & trium firmius est & certum.* Neque dicas, intelligi duos præter Metropolitanum. Id enim aperte falsum evincit secundum testimonium, sic enim dicti posse a duobus, ut non possit ab uno ergo duos sic intelligit, ut, altero detracto, remaneat unus. Item dicit: *quia testimonium duorum & trium est firmius & certum;* si autem intellexisset Metropolitanum cum duobus, aut tribus, debuisset dicere testimonium trium & quatuor. Aliundè probandum foret, nunc fuisse Metropolitanos in omnibus Provinciis, in quibus ordinabantur Episcopi, quod difficile probaretur. Item oppono c. 17. Constituit. Apost. l. 8. cit. ubi dicitur, quod, *si necessitas urgeat, Episcopus ab uno ordinari possit.*

Obj. 3. Novatianus cum non inveniret Romæ, a quo Episcopus ordinaretur, accessit ex aliqua Italie Provincia tres viles Episcopos, a quibus temulentis & crapula oppressis fuit consecratus: ergo tunc ea erat opinio fidelium, invalidam fore ordinationem Episcopalem, quæ non fieret a tribus Episcopis. R. N. Cons. Idem enim voluit Novatianus ordinari a tribus Episcopis, ut se confirmaret discipline communiter receptæ, ne si eam aperte transgredere, majorem in se concitaret indignitatem, & difficilius Pontificatum obtineret.

Obj. 4. Juxta Apost. Hebr. 7. *Quod minus est, a meliore benedicitur;* atqui unus Episcopus non est melior, aut dignior alio: ergo ad benedicendum Episcopo plures requiruntur, qui similes sint meliores & digniores uno. R. 1. Benedicentem propria auctoritate debere esse meliorem & digniorem; secus, si benedicat auctoritate Dei & ut ejus minister. 2. Episcopus, nondum benedictus, sed benedicendus, est minor Episcopo benedicente. nec tres sunt majores & meliores uno intensivè.

Verum observandum est, quod, quamvis hæc sententia nobis sit speculativè probabilior; quia tamèn opposita est etiam verè probabilis, & hic agit de valore Sacramenti, quod est maximi momenti, in praxi standum est contrariæ sententiæ,

TRACTATUS DE MATRIMONIO.

D. Thom. Suppl. a Q. 41. ad 67.

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ DE MATRIMONIO EX CONCILIIS, FLORENTINO, ET TRIDENTINO.

Decretum Concilii Florentini pro Instructione Armenorum (Sub Eugenio IV. anno 1439. Ex S. Thom. opusc. 5.)

Septimum est Sacramentum Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi, & Ecclesie, secundum Apostolum dicentem: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutus consensus per verba de presenti expressus. Assignatur autem triplex bonum Matrimonii. Primum est proles suscipienda, & educanda ad cultum Dei. Secundum est fides, quam unus conjugum alteri servare debet. Tertium, indivisibilitas Matrimonii, propter hoc quod significat indivisibilem conjunctionem Christi, & Ecclesie. Quævis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere sit est, cum matrimonio vinculum legitime contracti perpetuum sit.

Canones Concilii Tridentini de Matrimonio (Sess. 24. 11. Novemb. 1563. sub Pio IV.)

SI quis dixerit, Matrimonium non esse verè, & propriè unum ex septem Legis Evangelicæ Sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre; anathema sit.

II. Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum; anathema sit.

III. Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis, & affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediatur, & dirimatur; anathema sit.

IV. Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonii dirimentia, vel in iis constituendis errasse; anathema sit.

V. Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestiam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjugè, dissolvi

posse Matrimonii vinculum; anathema sit.

VI. Si quis dixerit, Matrimonium ratum, non contummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi; anathema sit.

VII. Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, & docet juxta Evangelicam, & Apostolicam Doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi; & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjugè vivente, aliud Matrimonium contrahere; mœchiarique eum, qui dimissa adultera, aliam dixerit; & eam, quæ, dimisso adultero, alii nupsit; anathema sit.

VIII. Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad torum, seu quoad cohabitationem, ad certum, incertumve tempus fieri posse; decernit; anathema sit.

IX. Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares, castitatem solemnitè professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante Lege Ecclesiastica, vel voto; & oppositum nihil aliud esse, quam damnare Matrimonium; posseque omnes contrahere Matrimonium, qui non sentiant se castitatis, etiam si eam toverint, habere donum; anathema sit. Cum Deus id rectè petentibus non denegat, nec patitur nos supra id quod possumus tentari.

X. Si quis dixerit, statum conjugalem antependendum esse statui virginitatis, vel coelibatus; & non esse melius, ac beatius manere in virginitate, aut coelibatu, quam jungi Matrimonio; anathema sit.

XI. Si quis dixerit, prohibitionem solemnitate nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab Ethnicorum superstitione profectam; aut benedictiones, & alias ceremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit; anathema sit.

XII. Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos; anathema sit.

DISSERTATIO I.

DE MATRIMONIO SECUNDUM SE.

D. Thom. Quest. 41. & 42.

ARTICULUS I.

De Nominibus, Definitionibus, Essentia Matrimonii.

NOMINA.

Matrimonium secundum varias considerationes varias sortitur nomina (Suppl. q. 44. art. 2.) Consideratum secundum essentialia, quæ est, ut dicimus, nexus, seu conjunctio maris, & femine, dicitur *Conjugium*, quasi junctio duorum sub uno jugo, undè & *Conjuges*. Spectatum secundum causam, quæ est desponsatio, seu contractus solemnitas, vocatur *Connubium*, & *Nuptia*: a verbo *nubo* seu *velo*, quia in ipsa solemnitate desponsationis capita nubentium velantur, seu velamine obnubuntur in signum pudoris, & modestiæ, quam inter se servare debent. *Billuart Pars Tertia.*

Consideratum secundum effectum, nempe prolem, vocatur *Matrimonium*; quia ut ait Aug. libr. 9. contra Faustum c. 26. *Non ob aliud debet summa nubere, quam ut Mater fiat.* Potius autem dicitur Matrimonium a Matre, quam Patrimonium a Patre; tum quia, ut ait Gregorius IX. cap. *Ex litteris* de conversione fidel. licet Pater sit sexu dignior, Matri tamen foetus est ante partum onerosus, dolorosus in partu, post partum laboriosus; maxime enim illi cura proliis incumbit: tum quia proliis certa Mater est, non semper certus Pater.

Definitiones.

Matrimonium est, & contractus civilis in officium naturæ, quam propagat, & conservat; & Sacramentum novæ Legis, gratiam conjugibus conferens ad proles christianæ educationis.

Bbbb a